

CAP. XI.

*De instructione Ministrorum Ecclesiae circa visitationem aegrotorum.*

§. I.

**P**astor cum invisit aegrotum, primo omnium testetur, se ex animo dolere de morbo immisso, addito voto, ut Deus patientiam & consolationem largiatur, & salutari admonitione, ut totum se Deo committat.

§. 2. Deinde discursus institui potest de morborum origine, nempe peccato, qua occasione Pastor aegrotum hortari potest, ut imprimis peccata agnoscat, seriamque poenitentiam agat, & ad Deum se convertat, ut paratus sit ad beatam ἀνάλυσιν, quocumque etiam tempore Deo placuerit eum ex hac vita evocare, cum nemo de hora mortis suae certus sit. Ubi adduci possunt exempla eorum, qui morte abrepti, quando de ea non cogitarunt (*Adrianus IV.* musca periit, quae fauces obstruxit. &c.) Sape, qui vesperi bona valetudine ad requiem se composuerunt, mane mortui in lecto reperti sunt e. g. Hieronymus Wellerus Superint. Friberg.

§. 3. In hac admonitione ad praeparationem Pastor respectum debet habere ad aegroti vitam ante actam. Si pie vixit, monendus quidem, ut peccata agnoscat, & serio de illis doleat, sed solatio rursus erigendus est, quod Deus non velit mortem peccatoris, sed ob meritum Christi fide apprehensum & imputatum peccatori propitius esse velit. Si vero jam ante peccatis secure frena laxavit aegrotus, Pastoris est, peccata cum rigore aegroti proponere, iram Dei adversus securos peccatores aegroti ob oculos ponere, eique ostendere, quod